



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

De hospitali faciendo in omni ciuitate, & de electione praefecti, & de
officio eius. Capvt LXX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

ANNO
CHRISTI
325 De fideli discedente a fide propter libidinem, & amorem infidelis; & de
forma recipiendi eum aut eam ad pœnitentiam.

CAPVT LXIX.

Si quis fidelium mulieri infideli morem gerat propter fornicationem, aut mulier fidelis viro infideli; & ob hanc causam a fide recedant; pœnitentia horum sit, vt spatio trium annorum stent ad ianuam templi in cilicio & cinere; & peracto hoc tempore intrent in ecclesiam ad orationem; sed ita, vt spatio vnius anni stent in angulo ecclesiæ ab aliis separati: neque liceat eos salutare, neque cum eis communionem participare. transacto autem anno, debet sacerdos benedicere aquam & oleum, non sicut benedicitur in baptismo, nec vt benedicitur chrisma, sed vt oleum infirmorum, & vt benedicitur aqua ad emundationem immunditiæ eorum qui comederunt morticinum: & sic debet eis benedicere sacerdos, & aspergere eos aqua ista; & ipsi etiam debent compungi, & mundabuntur, remitteturque eis peccatum orando pro ipsis. faciendaque est diligens de eis inquisitio, & sic dabitur communio. & qui non paruerit, Synodus eum excommunicat.

*De hospitali faciendo in omni ciuitate, & de electione prefecti,
& de officio eius.*

CAPVT LXX.

Vt sit in omnibus ciuitatibus locus separatus peregrinis, infirmis & pauperibus, qui vocetur xenodochium, id est, hospitium peregrinorum. Et eligat episcopus aliquem ex fratribus qui habitant in deserto, qui sit peregrinus, & procul distet a patria,

Oo iiiij

& a familia domus suæ , qui sit etiam vir probus ; & hunc præficiat xenodochio , qui in eo faciat lectos , & quæcumque infirmis & pauperibus opus sunt . Quod si bona xenodochii non sufficient , debet colligere omni tempore , & ex omnibus Christianis prouisionem secundum vniuersitatem vires ; atque his facultatibus sustentet fratres peregrinos , & pauperes , & infirmos , vt cuique opus erit : siquidem ipse est protector eorum ad adiuuandum eos , & eis diligenter prouidendum ; quia in hoc opere est remissio peccatorum , solutio iniurias , & appropinquatio ad Deum . & hic Canon est sine excommunicatione .

*De collocando episcopo aut archiepiscopo in sua sede post ordinationem ,
qua dicitur intronizatio .*

C A P V T L X X I .

Cum archiepiscopus episcopum ordinauerit , oportet vt mittat episcopum cum eo , qui illuminat in ciuitatem & in ecclesiam , & faciat sedere primo die in throno : & postquam tribus mensibus in ciuitate sua resederit , debet archiepiscopus cum visitat , salutare eum , & committere archipæpiscopo , id est , archipresbytero , & archidiacono , vt eum in statutis episcopatus examinent : & si reperebant didicisse eum omnia perfecte , confirmabitur in episcopatu , & in statutis eius . Sic etiam facere debent patriarchæ suis archiepiscopis . & qui contradixerit , Synodus eum excommunicat .

*Vt nulli liceat de ecclesia , in qua ordinatus est , ad aliam se transferri ;
de translatione eius qui per vim electus est sine culpa .*

C A P V T L X X I I .

Nicæn. 15.
apost. ca. 1.

Nullus episcopus ab episcopatu minore ciuitatis